



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

B. Francisco Salesio. Illius patrocinitm in re sacra expetit. Ode VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

AD FAVSTVM POLVM,

ex Praefecto domus pontificiae Cardinalem ab Urbano VIII. factum.

ODE VI.

Q Vi pondus axis fulcit, & summi domum
 Ceruice sustentat Iouis :
 Qui siderum orbes torquet assiduâ manu,
 Præberquè cœlo fornicem :
 (Urbanus esto Iupiter, mundi caput,
 Sunto Nepotes sidera)
 Hic quî vocetur tandem ? Atlas, àn Hercules ?
 Neutrūm ; audiat FAVSTVS POLVS .

B. FRANCISCO SALESIO.

Illijs patrocinium in re sacra expetit.

ODE VII.

N Osti, SALESI, mentis afflatum meæ,
 Vel conscius, vel auctor iniectæ facis ;
 Quæ semper arsit, semper inualuit morâ
 Plus plusquæ nexâ, iussâ dum cœli exequor
 Ad se vocantis . Venio iam, Superi, libens :
 Venio sagittæ more Dictæ celere,
 Aquilæquè rapidis altius feror minis ,
 Strepitum atquè fumum, opesquè terrigenum & domos
 Risurus vltrò, lucidæ ciuis plagæ ;
 Segnis moteri sortis impactum rotæ
 Vt cunquæ clavum verterit, triplicis penes
 Quem stat potestas imperi, Ausonius pater ;
 Et explicârit compedis nodum pigræ
 Nimis tenacem gladio Alexander sacro ,
 Longè ille Magno maior, & cultu prior .

L 2

Cer.

Certè explicabit, facere si cœpit viam,
 Ut nupèr, albam supplici bonus mihi.
 Ipso iubente, summa demesia est coma;
 Volente eodem, præmia capaci appetent.
 Dedit coronam quisquis, & regnum dabit.
 Tu modò, BEATE, (si quid ad laudes tuas
 Contulimus olim, voce permistâ lyræ
 Nouum canentes Sidus, in longos queat
 Quod viuere annos, vsquè repetitum choris,
 Gratumquè templis; &, caput quod est, Patri
 Dedimus supremo munus, alteri vt tibi)
 Agè, dedicatæ suggeras menti, precor,
 Pontificis almi gloriæ tubam tuæ
 Me, me clientem. Pronus excipiet preces,
 Votoquè latus annuet; tantùm velis.
 Quid non parantem Roma conspexit tibi;
 Quid non paratum? Dixit indigetem ætheris,
 Adhucquè dicet maius in cœlo iubar:
 Si Vaticanæ festus apparet color
 Molis per aras, nec stat incassum ardui
 Circus theatri. Sed trahunt Galli diem,
 En signa honoris: omnium faber est amor.
 Vel tolle digitum, curret ad mutam notam.
 Et dubitet aliquis, si roges, quidnam feras?
 Tanto patrono, quidlibet spero impotens;
 Penetrali amico cuncta concredo bona
 Etiam in tabellâ. Scimus, vt pictos gerat
 Vultus in auro Præfusilis, sinu intimo,
 Radiante gemmis, qualis ex alto miças.
 Illic moueto, cordis ô hospes sacri,
 Animæquè Achates principis sanctissime;
 Illic reuolue memoriam efficacibus
 Nostram loquelis; redde poscenti pium.
 Tandem ista subde pauca sapienti velim,
 Ore at SALESI: Prime, scis, custos gregis,
 Mundoquè rector sorte cœlesti date,
 Quid aduolutus crine deposito expertat
 Ghibbesius nunc? non vt, ubi factus facer,

Titu-

Tinulis abundet; vnicum, ut fiat sacer.
Sic sèpè vtrique victimam gratus feret.

LAVRAE MARIAE DE GYPSIIS,
BONONIENSIS,
Virginis Vestali eruditissima;

sesto die SS. Innocentium religiosa vota nuncupantis.

O. D E V I I I .

Docere quis nunc perneget Bononiam?
Quandò puella viris
Virtute certat maximis:
Seu mentis ardor impulit, seu pectoris,
Dextra vel ingenio,
Vel corde cunctos vincere:
Catharina Memphim, rostra Romanæ refert
Palladis Eustochium,
Delphos Amalthee sagax.
Tot vna dotes LAVRA concludit sinu,
Felsineæ vrbis honor,
Cingenda fronde nominis.
Hanc audiat Petrarcha, damnabit suam
Cultor inanis Heram:
Hanc cernat intonsus Deus,
Primamque Daphnen facile postponet nouæ,
Captus amore procul
Musis adauictæ Thespiæ.
Instrata; nec illa cesserit præconijs,
Illa nec imbre Iouis
Mutaret angustum domum,
Egena rerum fortiter, Christo addita
Fœdere coniugij,
Sortemque decurrentis parem.
Sic pauper vltrò (cuius est Crœsus pater)
It speciosa magis,
Quam si triumphet Indias.